



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

Illvstrissimo Domino D .Clavdio De Mesmes, Comiti D'Avavx, Regiorum
Ordinum Commendatori, supremo ærarij Præfecto, nec non vni è Regni
Galliæ Ministris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)



ILLVSTRISSIMO DOMINO D.

CLAVDIO DE MESMES,
COMITI D'AVAVX,

Regiorum Ordinum Commendatori, supremo
ærarij Præfecto, nec non vni è Regni
Galliæ Ministris.



E non patriâ tantum, sed educatione etiam toti Galliæ externum, ad TE, ILLVSTRISSE DOMINE, patrocinium tuum meo huic operi imploraturum confugere, vix vllum mirari posse existimo, quia vix vllus est, qui ignoret neminem Tibi externum videri, qui Tui similis operam suam in id impendit, vt non vni solum illi, cui natalitia debet, Prouinciæ, sed omnibus utilis esse possit. Itaque cum hanc esse nobilissimi animi Tui indolem, etiam in locis valde diffitis intellexissem, & in me pariter non mediocre desiderium illustrandæ pro viribus Reipublicæ litterariæ, ad commune Vniuersi beneficium expertus essem, non poteram timere mihi defuturam illam tuam longè, latèque diffusam humanitatem, quæ nulli vnquam ad eam confugienti non adfuit; nec in tanta virorum Illustrium copia, quæ operis mei nuncupationem meditantibus obuersabatur, vllum potui Tibi præferre, aut reperire, sub cuius auspiciis mallem, aut hoc, aut alia mea opera iam prælo parata, in lucem prodire. Quod enim Scriptores, maxima ex parte, in suarum lucubrationum dedicatione potissimum ambiunt, seipsos scilicet, ac opera sua commendatiora reddere, qua ratione id ego melius assequi possem, non vidi, quàm si permittere dignareris nomine Tuo, totâ Europâ celeberrimo, frontispicium meæ Philosophiæ decorari: sic enim futurum arbitrabar, vt si quid vnquam splendoris à quopiam, quantumvis rerum gestarum gloriâ, & propriarum virtutum meritis eximio, posset in operis alicuius commendationem deriuari, id omne à Te longè eminentius communicaretur, qui vnanimi omnium suffragio, eam dignitatem consecutus, quam nemo sine virtutum omnium præsidio, gestisque præclarissimis obtinere potest. Ad quas virtutes, cum innata quædam propensio à Maioribus longa serie per multas ætates deducta, animum tuum impulisset, & ipse naturæ tam ingenuæ, ac beneficiæ non ingratus, omni conatu, ac sollicitudine, quod hæc incæperat, perficere contenderes, primum in ipsa adoles-

centia mentem tuam omni scientiarum genere, respondente votis ingenio ad miraculum eximio, instruxisti; deinde nunquam intermisso, quantum ea in ætate licuit, virtutum omnium cursu, in quibus potissimum huius vitæ fælicitatem collocatam esse didiceras, viri non ad priuatam solum, sed ad communem vtilitatem, magno huius æui beneficio nati, cum apud omnes, tum præcipuè apud Ludouicum XIII. eam consecutus es opinionem, vt protinus ad grauissima cum exteris Principibus negotia tractanda admotus fueris. Vnus eras scilicet, qui moli tantarum rerum ferendæ par esse posse videbaris. Cui certè opinioni, quam egregiè responderis, non *Gallia* tantum, quæ eam de Te spem meritò conceperat, sed *Italia, Dania, Suecia, Polonia, Belgium, Germania*, quibus in locis iam à viginti duobus annis extra proprios lares, patriâ ipsâ patriæ vtilitati postpositâ, amplissimis legationibus functus es, abundè testantur. Eo in munere, cum summam & Regi fidem, & patriæ pietatem præstares; eâ tamen integritate, & sinceritate apud alios Principes, quæcumque agenda erant, tractauisti, vt cum non, nisi quod iustum erat, idque summa non prudentia tantum, sed dicendi gratia proponeres, si quid est, quod non es assecutus, id tamen vel renuentibus concedendum videretur. Sed cum hæc Tua prudentissima integritas vbique se omnium animis insinuaret, tum demum maximè enituit, quando Christianissimi Regis Plenipotentarius per annos quinque *Monasterij Westphalorum*, quam poteras maxima cura, & sollicitudine infelices illas animorum dissensiones, quibus tanto tempore tota Europa inuolui se ingemiscit, ad tamdiu hucusque frustra expetitam pacem componere satageres. Quamuis vero votis Tuis, hoc est totius Christianitatis, exitus nondum omni ex parte responderit, ea tamen cum tuis Collegis semina iecisti, coluisti, rigasti, quibus, si incrementum Deus dederit, dubitandum non est, quin ad maturam plenamque segetem perueniant. Omnino, reliquisti regiones albas ad messem, dum pacem Germanicam inexhausto, ac penè incredibili labore ad vmbilicum perduxisti; Hispanicam penè affectam tantum non perfecisti. Hæc autem quamuis, vt in se maxima, ita totum cuiusvis hominis studium desiderare videantur, numquam tamen Tibi impedimento fuere, quo minùs grauissimis negotiis horas aliquas animo per litteras ac pietatem colendo subtraheres, ea postea, vt rectè arbitraberis, tantò melius tractaturus, quantò & per pietatis exercitia Deum Tuis consiliis fauentiorem haberes, & per litterarum studia prudentiam, sine qua rite peragi non possent, aut augeres cumulatiùs, aut solidiùs confirmares. Ad hæc omnium animos Tibi vbique deuinxisti singulari beneuolentia & caritate, quâ tum viros omnes quocumque genere eruditionis & doctrinæ commendatos, tum verò maximè Religiosos complecti solebas, quorum nemo vnquam accessit, qui Te non tam Patronum, quàm Parentem agnosceret. Quæ sanè omnia, & plurima alia animi tui Ornamenta, quæ hic commemorare non libet, sæpius à me cum admiratione considerata, id tandem effecerunt, vt, cum sub nullius alterius auspiciis Cursum hunc Philosophicum gloriosius in lucem prodire posse viderem, nihil magis ambirem, quam vt id Te permittente facere liceret, quod & ab humanitate tuâ facile impetraui. Id iam verendum maximè, ne pro eâ, qua polles ingenij subtilitate & maturitate iudicij, statim repereris nihil esse in toto opere, quod, non dicam tanto, sed nec inferioris notæ viro, consecrari mereatur. Sed huic etiam defectui ab eadem humanitate tua veniam impetrare non dubito, quam scio non
tām

tam facultatis meæ, aut ingenij, quàm voluntatis, ac animi rationem habi-
turam. Cum autem nemo, quod sciam, integram ante me Philosophiam ad
mentem Doctoris Subtilis exegerit, non miraberis inïtia suas habere imper-
fectiones, quibus numquam hactenus caruere. Vale, & viue diutissimè sos-
pes ad Regis Christianissimi obsequium, honorem Galliæ, Tuorum Orna-
mentum, bonorum salutem, omnium felicitatem. Ita vouet.

Illustrissima Dominationis Tuæ,

Humillimus & addictissimus seruus,
FR. IOANNES PONCIVS.



AD